



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XXXIII. De obligatis ad domum parochialem reficiendam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

penes eundem sit universale jus omnes decimas tam majores, quam minores percipiendi, vel penes plures? si primum, ille ipse habebit jus exigendi decimas ex rapis, qui illas colligit ex frumento quod si autem unus habeat decimas majores, alius autem minores tunc huic decimæ ex rapis præ-

standa erunt, in quo tamen ipso etiam potissima ratio consuetudinis localis habenda erit, ut decidatur, quinam fructus minoribus, & quinam majoribus sint accensendi: habetur enim ab experientia, eodem fructus in uno loco annumerari majoribus, in alio minoribus.



## CASUS XXXIII.

*De obligatis ad domum Parochialem reficiendam.*

**P**arochus Paræciæ A. cum tam stabulum, quam horreum ipsius ob vetustatis vitium ruinam minarentur, concitatores suos monet, ut pro rata illos concernente ad ædificationem novi stabuli & horrei secum concurrerent contribuere tamen aliquid cum isti recusarent, ideo.

Q. 1. Quinam Ecclesiam parochialem reparare debeant?

Q. 2. Num etiam decimatores?

Q. 3. An obligati ad reficiendam Ecclesiam, reparare debeant aedes parochiales, horreum &c.?

Q. 4. Quomodo, & à quibus reuocantes ad reficiendam Ecclesiam cogi possint?

## SYNOPSIS

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

*Quam Ecclesiam parochialem reparare debeant?*

1. Quenam sub nomine refectionis comprehendantur?
2. Ad illius refectionem obligare solent consuetudo, statuta, conventiones.
3. Allegantibus tamen ista incumbit probatio.
4. Seclusis alijs reparatio ex proventibus Ecclesie facienda.
5. His deficientibus tenentur parochus, & beneficiati.
6. Ex redditibus congrue sustentationi superfluis.
7. Licet incremento statûs ad clericalem impertinentis necessarij sint.
8. Non tamen ex bonis aliunde acquisitis.
9. Aut parochi sustentationi congruis, licet ex alijs vivere hic possit.
10. Ad reparationem quoque tenetur Patronus proventibus Ecclesie fruens, alias non.
11. Non obstantè Tridentino sess. 21. cap. 7. de reformat.
12. Aut alijs rationibus.

## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*Num etiam decimatores ad reficiendam Ecclesiam sint obligati?*

13. Decimatores sunt triplicis generis
14. Patronus decimas percipiens tenetur.
15. Et Decimatores Ecclesiastici, seclusa consuetudine contraria.
16. 17. 18. & 19. Offeruntur fundamenta obligantium decimatores laicos.
20. Quibus non prodest, quòd decime laicales annumerentur bonis patrimonialibus.
21. Sunt enim proventus Ecclesie.
22. Nec obstat, quòd sint in patrimonio laicorum.
23. Cùm veri adhuc proventus Ecclesiastici habeantur.
24. Vero similior est sententia decimatores laicales obligans.

## §. III.

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

An obligatio reparandi Ecclesiam etiam se extendat ad refectionem Aedum Parochialium?

25. Vi Juris communis Responso est affirmativa.  
 26. Sub aedibus parochialibus continentur etiam horreum, stabulum &c.  
 27. Observanda tamen erant statuta, & conventiones cujuslibet loci.
28. Quandonam decimatores ad magis sumptuosas aedes construendas teneantur?  
 29. Quorum non antea requisitorum sumptibus nihil est reficiendum.

## §. IV.

## Resolvitur quartum Quæsitum.

Quomodo, & à quibus renuentes ad Ecclesiam reficiendam cogi possint?

30. Ad refectionem Ecclesie parochialis agere possunt, Praelati, Parochus, Praefecti Ecclesie.  
 31. Et obligari ad reparandum urgeri possunt à iudice ex officio.  
 32. Item populus, seu parochiani.  
 33. Etiam respectu laicorum in hac causa iudex est Ecclesiasticus.
34. Num etiam secularis sit iudex competens?  
 35. Compelli decimatores poterunt detentione decimarum.  
 36. Infectione censurarum Ecclesiasticarum, & multarum temporalium.

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

## Quinam Ecclesiam Parochialem reparare debeant?

**N**omine Parochialis Ecclesie venit Ecclesia, cui præest presbyter ad curam animarum, intra certos limites ex officio exercendam, auctoritate apostolica constitutus, controversia itaque movetur, quibusnam incumbat onus reparandi ejusmodi Ecclesiam Parochialem, si hæc ob vetustatem, incendium, ruinam destructa, collapsa, vel diruta, iterum reparanda, & resturanda sit? licet autem verbum reficiendi, seu reparandi aliter, atque aliter pro natura, conditione, & qualitate materię accipiatur, in præsentem tamen casum idem sonat reficere, seu reparare, ac id, quod corruptum est, in pristinum statum restaurare. Ita Upius *leg. 1. §. deinde ff. de rivis*, optime etiam advertit Dom. Petrus Peckius in suo tract. de Sacrosanctis & Catholicis Christi Ecclesijs reparandis cap. 1. hoc verbo reficiendi contineri tegere, substituere, sarcire advehere, & ea, quibus ad eandem rem opus est apportare.

**Dico 1.** Ad Ecclesie parochialis reparationem concurrere, ac necessarios sumptus, atque operas conferre debet populus, aut alij, quibus hæc obligatio

nem recepta loci consuetudo, particularia statuta, aut conventiones imponunt. Ita in *cap. 1.* notant Hostiensis *n. 1.* Panormit. *n. 3.* Barbofa *n. 3.* Vallensis *in hunc titulum Petrus Peckius cap. 9.* citans Cardinal. Anchor. Joan. Andre ad *c. 1. de Eccles. ad f. Ripa Steph. Ceri cons. 53. n. 4. lib. 1. de cif. capella Tholosan penult. prob. concl.* ex antiqua consuetudine obligantur laici certis quibusdam diebus jejunare: externis concionatoribus ad eorum Ecclesiam accidentibus alimenta ministrare, pastoribus & rectoribus pro opere & labore honorarium præstare, & à certo anni tempore consuetam aliquam oblationem facere: *cap. consilium de observat. jejuniorum cap. ad apostolicam 42. de simonia.* & ibi Felinus *de simon.* Joannes Franciscus Ripa *tit. de lege & longa consuetudine: cap. 14. in fine.* ergo etiam hæc ipsa antiqua consuetudine introduci poterit obligatio in populo reparandi Ecclesiam parochialem.

Conf. ex legibus Longobardorum *lib. 3. tit. de Episcop. & Clericis* constat, illorum tempore talem consuetudinem viguisse, & vi illius ad reparandas Ecclesias

Ooo 3

popu-

populum officio iudicis coactum, & compulsum fuisse.

Ad hoc autem, ut ex consuetudine populus ad reparationem Ecclesie obligatus censeatur, erit talis consuetudo alleganti eam probanda, prout habetur in Glossa ad legem 1. in verbo probatis & ibi Baldus in 1. not. cap. que sit long. consuet. Bartolus ad leg. 2. q. 27. in fine eadem rubrica Alex. consil. 67. lib. 7. Hæc consuetudo, cum ad causæ decisionem pertineat, sitque majoris momenti, requirit illa plenior probatioem juxta Barto. ad dictam legem de quibus in 4. princ. ff. de LL. Socin. consilio 39. lib. 4. Dec. consil. 402. n. 12. Probanda autem ejusmodi consuetudinis existentia vel per instrumenta, quorum usus ex antiquo apparet, lege vetustissimam Cod. de jure dom. imper. Baldus consil. 38. lib. 3. vel per testes, qui de visu actus, cujus consuetudo allegatur, deponant. nec non de actuum frequentia, diuturnitate temporis &c. Probandum autem his testibus erit, ejusmodi actus taliter factos fuisse, ut appareat, tacitum consensum populi, vel majoris ejusdem partis intervenisse, præterea etiam requiritur, ut constet populum exercendo reparationem Ecclesie, animum habuisse inducendi obligationem. Ratio hujus est, consuetudo habens rationem legis, & obligationis inducitur ex tacito consensu populi vi legis de qui-

bus ff. de LL. ergo ubi defuit iste animus inducendi obligationem, non aderit consuetudo obligans lege consensu: ff. de action. & obligat lege si per errorem ff. de Jurisdic. omn. Judicum.

Dico 2. Seclusa tali consuetudine, si ipsa Ecclesia parochialis proventus, seu redditus fabricæ deputatos habeat, reparatio Ecclesie parochialis ex iis proventibus facienda erit. Ita communis cum Lamber. in de Jure Patronatus lib. 3. q. 7. art. 2. n. 2. & 7. Barbola de offic. Episc. alleg. 64. n. 1. Gonzalez ad cap. quicumque 1. de Eccles. edific. Wreitner hac rubrica n. 42. Clariss. P. Schmier lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 2. sect. 2. §. 3. n. 63. habetur conclusio can. decretum causæ 10. q. 1. can. placuit 1. can. prescis 2. can. unio 3. que. 3.

Dico 3. Si proprij Ecclesie Parochialis redditus, vel nulli, vel non nisi tenues, ac insufficientes habeantur, tum Parochus, & alij possidentes beneficium, ad Ecclesiam reparandam debent concurrere ex redditibus, qui deducta congrua sustentatione iisdem superlunt. Ita habetur in Trident. sess. 21. de reform. c. 7. item in cit. cap. quicumque 1. & cap. de his 4. de Eccles. edificandis. Trident. loco cit. Episcopos monet, ut Parochiales Ecclesias collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque, ad eandem quomodocunque pertinentibus.

Ex

Ex his ita formamus argumentum pro nostra conclusione. Quacunque Parochus, uti etiam alij beneficium ex illa Parochia habentes, accipiunt, sunt fructus, & proventus ad Ecclesiam Parochialem quomodocunque pertinentes: ergo, cum Ecclesia Parochialis sit reparanda ex quibuscunque ad Ecclesiam Parochialem quomodocunque pertinentibus fructibus, etiam erit reparanda ex fructibus & proventibus; quos Parochus, & alij beneficium ex illa Ecclesia habentes recipiunt: ergo debent illi ad reparationem concurrere.

Confirm. 1. Modò enumeratæ personæ habent, & sentiunt commodum ab Ecclesia: ergo ad hujus reparationem ut concurrant, est æquissimum. Prob. conf. qui sentit emolumentum ab Ecclesia, non debet etiam detrectare onus: *Leg. unica: Cod. de cadu. tollen.*

Confirm. 2. Clerici, dum vivunt, æquiparantur usufructuariis, *Glossa in cap. presentis: de off. ordin. lib. 6. §. in cap. requisiti. de testam. §. cap. fin. de pecul. Clericorum.* atqui usufructuarij tenentur ex fructibus res conservare in bono statu; ut colligitur ex definitione usufructus, qui dicitur ius utendi, fruendi rebus alienis, salva eorum substantiâ *Leg. 1. ff. de usufruct. & ut sarta recta teneant. Leg. hactenus. Leg. usufruct. Leg. cum apud quem Cod. eodem tit.*

Diximus autem in conclusione, 6 reparationem faciendam esse ex redditibus, qui deducta congrua sustentatione tum Parocho, tum alijs beneficium in Ecclesia reparanda possidentibus supersunt. Quòd enim congrua sustentatio ejusmodi in Ecclesiæ commodum occupatis personis non sit subtrahenda, desumitur *ex cap. de his 4. de Ecclesijs edificandis; ibi, quòd ad reparationem. §. institutionem Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, conferre, ut eorum exemplo ceteri invitentur.* Secundo: nemo unquam militat stipendijs suis: ergo neque Parochus, aut ceteri beneficiati obligari poterunt, ut sua obsequia gratis exhibeant Ecclesiæ; cum omnis operarius dignus sit mercede sua: consequenter, si deducta sustentatione congrua non supersit, quòd ad Ecclesiæ reparationem conferant, vel quod superest, in eam collatum non sufficiat, tenebuntur alij.

Sicuti autem Parochus, & cæteri beneficiati, cogi nequeunt, ut fructus, qui ad congruam sustentationem Parochi, ac cæterorum Beneficiorum necessarij sunt, ad reparationem Ecclesiæ impendantur, ita in hanc impendendi sunt, qui congruæ sustentationi superflui, ne essarij tamen sunt conservationi, aut incremento statûs, qui ad Clericalem statum, qualis est nobilitas, habet

se profus impertinenter. Ita Lambertin. *de jure Patronatus lib. 3. q. 7. art. 2. n. 7.* Riccius *in prax. Neapol. p. 4. decis. 293.* Comilottus *lib. 1. Respons. q. 82. num. 2. concl. 3.* Barbosa *in cap. de his: citatum n. 3.* Ratio est, quod beneficiorum fructus ad Ministrorum Ecclesie sustentationem, & ad alendos ex superfluis pauperes, ipsiusque Divini cultus promotionem ordinentur; & cum hac obligatione Ministris Ecclesie distribuuntur.

8 Cum autem Ecclesie Rector, vel ceteri beneficiati, praeter fructus ab Ecclesia reparanda provenientes, habere possint etiam alia quaedam bona, patrimonialia scilicet, quasi patrimonialia, aut accepta ex alio distincto beneficio, quod una cum Rectoria possidetur, ideo sciendum, Doctores communiter docere cum Anthol. *ad c. fin. de his, quae sunt à majore parte,* & D. Petro Pectio *de Eccles. repara. cap. 20. n. 5.* ex bonis patrimonialibus, & ex alio beneficio acceptis nullos sumptus ad reparationem talis Ecclesie suggerendos, eò quod haec ex suis tantummodo bonis, ac fructibus reficienda, & hinc pro rata beneficiorum contribuendum sit ad mentem Abbatis Genuensis *in manual. pastor. c. 36. n. 3.* & *in praxi c. 54. n. 5.* Sperelli *for. Eccles. decis. 67. n. 7.* dein si etiam ex proventibus ab alio beneficio perceptis deberent aliquid con-

tribuere, pluribus oneribus in pluribus locis simul gravarentur,

Ex hoc tamen aliud novum dubium exoritur: ponamus enim fructus ex reparanda Ecclesia Rectori, aut alij beneficiato obvientes praecise ad congruam horum sustentationem sufficere: ex altera autem parte Rectorem vel beneficiatum se congrue possent sustentare ex alijs, quae possident, bonis: in hoc casu cogendine erunt Rector, aut beneficiarius, ut fructus ad solam sui congruam sustentationem sufficientes reparationi Ecclesie impendant, viventes interea ex alijs suis bonis? & cum Parochus residere, alia onera Parochiali curae annexa obire, & tam altari, quam suis Parochianis inservire debeat, hinc alimenta Parocho à parochianis debita, reparationi templi videntur praeferrenda, cum, ut diximus, operarius sit dignus mercede sua, & nemo suis stipendijs militet. Idem tenendum erit, de alijs beneficiatis in obsequijs Paroeciae occupatis, ac residentibus; tantum etenim & istis relinquendum est, ut honeste adhuc vivere possint, *vi cit. cap. de his can. si monachus 22. causu 16. q. 1.* Contrarium dicendum de beneficiatis non residentibus nullumque beneficij onus implentibus, cum enim in istis ratio Parocho, ceterisque occupatis beneficiatis favens non detur, nisi alimentis aliun-



aliunde petitis illi careant, destinata ad illorum sustentationem portio, fabricæ reparandæ applicanda erit; quòd autem etiam istis egentibus, & sufficientibus facultatibus destitutis, Ecclesia victum, & vestitum debeat, docent Panormit. in repetit. c. cum esset q. 2. & Socyn. cons. 32. n. 1. Porcius cons. 34. n. 19. Petrus Peckius cit. cap. 20. n. 7.

Vidimus hucusque, quando & in quantum Parochus, & ceteri beneficiati ad reficiendam Ecclesiam, ex cujus fructibus sustentantur, obligentur; superest examinandum, an, & quinam adhuc alij concurrere debeant? dubium autem non modicum est de patrono ejusmodi Ecclesiæ, eò quòd Tridentinum sess. 21. c. 7. de reform. dicat, si fructus, & proventus ad Ecclesiam, quomodocumque pertinentes non sufficiant, patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes percipiunt, opportunis remedijs ad prædicta, reparationem scilicet Ecclesiæ, cogendos esse, hæc controversia optimè distinctionis auxilio decidetur. Vel enim patronus fructus quosdam ex bonis Ecclesiæ reficiendæ percipit, vel nullis ejusdem unquam fructibus sustentatus fuit?

10 Dico quartò: Patronus, percipiens fructus ex proventus Ecclesiæ, ad hujus refectionem obligatus erit: absque horum perceptione nihil tenebitur contribue-

re. Ita sentiunt Lambertin de Jure Patron. lib. 3. q. 7. art. 2. n. 5. Pyrhing. ad præsentem Rubricam n. 20. Wiestner de edific. Eccles. n. 45. Clariss. P. Schmier lib. 3. tract. 1. pag. 2. §. 3. n. 66. Schmalzgrueber de Eccles. edific. n. 51. citans Zypæum, prima pars conclusionis probatur ex Trident. cit. cap. 7. asserente, omnes ad reparationem faciendam cogendos esse, qui fructus aliquos ex Ecclesijs dictis provenientes percipiunt.

Ratio secundæ partis est, beneficium grande alteri præstitum non debet suo Authori in præjudicium cedere, & esse oneri: ergo cum Patronus educendo Ecclesiam ex suo non esse, huic grande beneficium præstiterit, hoc non debet eidem præjudicare; atque onus quoddam imponere: ergo neque obligationem reparandi à se extractam, aut dotatam Ecclesiam. Confirm. hæc obligatio jure merito fideles à fundandis, atque erigendis Ecclesijs absterreret: ergo.

Neque obstat, quòd Tridentinum cit. cap. 7. universaliter dicat, patronos teneri: nam hoc nomen generale restringit particulis subsequentibus: & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes percipiunt. Dein de illis patronis loquitur, qui juxta cap. præterea 23. de jure patronatus in foundationis exordio sibi reservarunt perceptionem quorundam

ex fundato à se beneficio proventium fructuum.

12 Neque obstat secundò, quòd patronus videatur obligatus Ecclesie reparandæ, prout ista obligatur ad sustentandum patronum suum ad paupertatem redactum; hoc enim gratitudo Ecclesie erga suum patronum & benefactorem exigit. Tertio cum aliud sit cura, ut conservetur Ecclesia, & aliud sit onus; hinc, licet cura illius Patrono incumbat, non tamen incumbet onus reficiendi Ecclesiam. Quarto, cum nomine fructuum Tridentinum intellexerit reditus, & proventus temporales, qui reparationi Ecclesie sint utiles

& apti; jus presentandi, prerogativa in sede, processibus (quæ omnia Patrono competunt) non habenda erunt pro fructibus, ex quorum perceptione Tridentinum Patronum obligat. Denique quia per omnimodam destructionem Ecclesie jus Patronatus constructionis titulo acquisitum totaliter destruitur, quod tamen non fit in sola hujus reparatione; ex eo, quòd Patronus desinat esse, si destructam non reedificet, malè inferitur, quòd Patroni titulum omittat, si ruinolam reficere ex suis impensis omiserit, si nihil de proventibus Ecclesie percipiat.

## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*Num etiam decimatores ad reficiendam Ecclesiam sint obligati?*

13 **D**ecimatores in tres classes possunt dividi: in Patronum, decimas provenientes ex prædijs intra Parochiam sitis percipientem; dein in decimatores Ecclesiasticos; ac denique in decimatores Laicos.

14 Dico primò: Patronus percipiens decimas tenetur ad Ecclesie à se fundatæ reparationem: ita communis vi Tridentini sess. citate cap. 7. Ratio est, quòd naturæ & rationi sit convenientissimum,

ut sentiens commoda, & proventus Ecclesie, hujus etiam onera sentiat, ac laboranti succurrat.

Dico secundò: ad ejusdem reparationem, nisi consuetudo contrarium doceat, etiam decimatores Ecclesiastici sunt compellendi. Ita sentiunt cit. Peckius *de reparat. Eccles. cap. 14.* Gutierrez. *prædic. qq. lib. 1. cap. 17. n. 4.* Laym. *lib. 4. traù. 3. cap. 13. num. 47.* Clariss. P. Schmier, Schmaizgrueber, Pichler, *vi Tridentini capit. 7. sess.*

7. sess. de reformat. & cap. de bis cit. tales etenim decimatores percipiunt decimas: ergo, cum istæ sint bona, & fructus ex Ecclesia provenientes, percipient decimatores & fructus &c. consequenter vi citati capitis 7. obligabuntur ad reparandas Ecclesias; cum decima vi suæ institutionis, & spectato jure communi debeantur Parochiæ: cap. cum sint 18. cap. tua 26. princ. de decimis ut in fabricæ constructionem, tuitionem, nec non Ministrorum sustentationem, ac cultum Divinum impendantur. Juxta decisionem cap. statuto 2. §. ubi autem: ad finem de decimis in 6. Confirm. hoc ex praxi, ac plurium locorum consuetudine, decimatores Ecclesiasticos ad reparationem talem compellentibus.

16 Major controversia est de decimatoribus Laicis, num & isti ad reparationem sint obligandi? Obstrictos etiam hos agnoscunt Zypæus in *Analyti ad tit. de Ecclesijs edificandis n. 2.* Gonzalez ad cap. quicumque 1. de Eccles. edificand. n. 2. Peckius cap. 14. n. 2. Wiestner n. 47. loci citati: Clariss. P. Schmier lib. 3. tract. 1. pa. 2. §. 3. n. 74.

Rationibus ad hoc asserendum moventur sequentibus: sine omni distinctione inter decimatores Ecclesiasticos, & Laicos in cap. quicumque 1. de Ecclesijs edificandis præcipitur, ut quicumque Ecclesiasticum beneficium possident, omnino

adjuvent ad tecta Ecclesie restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas: atqui etiam decimatores Laici, quocumque demum ex titulo decimandi jura acquisiverint, possident beneficium Ecclesiasticum, ergo ad reparationem tenentur. Prob. min. in cit. textu nomen beneficij non accipitur pro titulo Ministerij spiritualis, sed pro qualibet utilitate ex juribus, & rebus Ecclesiasticis percepta: ergo etiam decimatores Laici possident beneficium Ecclesiasticum; ant. probat Gonzalez ad cap. quicumque 1. de Eccles. edificand. n. 2.

Secundo: hanc obligationem 17. desumunt ex cit. Trident. sess. 21. de reform. cap. 7. in hoc enim omnes, qui fructus aliquos ex Ecclesijs provenientes percipiunt, adstringuntur ad Ecclesie reparationem: sed decimatores Laici accipiunt fructus ex Ecclesijs provenientes: Prob. min. decimæ proveniunt ex Ecclesijs Parochialibus: ergo &c. Prob. ant. ex cap. cum sint 18. cap. tua 26. in princ. cap. cum contingat, 29. de decimis.

Tertio: Ipsum jus decimis annexum; onus non tantum sustentandi Parochum, sed etiam hunc sublevandi, ut alia onera facilius possit supportare: cum ergo inter alia onera sit obligatio reparandi Ecclesiam, etiam hujus reparationis onus erit decimis annexum. Ant. prob. ex cap. statuto 2. de decimis in 6. §. ubi autem ibi: provideatur per locorum ordi-

narios, & ordinetur taliter, quod eisdem Rectoribus tantum de illarum relinquatur proventus, quod exinde competentem sustentationem habere, & Episcopalia jura subire valeant, aliisque onera debita supportare.

19 Confirm. Laici jus decimandi acceperunt sub illo onere, quod à juribus, & summis Pontificibus ipsis decimis est annexum, & saltem tacite ad hoc se obligarunt: ergo, si aliunde probetur, hoc onus à juribus esse annexum decimis, in hoc consenserunt, cum decimandi jus acceperunt.

20 Audivimus rationes obligantium decimatores, ut pro rata sua concurrant ad refectionem Ecclesie, de qua decimas percipiunt. Ab hoc onere eosdem ex opposito eximunt Navarrus de *Reditib. Eccles. num. 57.* Molinæus de *consuetud. Paris. Eccl. n. 104. & S. 68. n. 24.* Schmalzgrueber de *edific. Eccles. n. 56* Pichler eadem *Rubrica n. 5.* asserens id doceri à plerisque Doctoribus. Probant autem hoc suum assertum hac ratione: decimæ Laicales referuntur inter bona patrimonialia Laicorum, eademque gaudent, & possidentur immunitate, qua gaudent, ac possidentur cætera illorum Laicorum bona: sed cætera gaudent immunitate concurrenti ad reparationem Ecclesie: ergo etiam gaudebunt decimæ. Responderi tamen potest: dist. Maj. gaudent eadem immunitate, qua

cætera bona, nisi cum hoc onere fuissent decimæ in Laicos translata, neg. Maj. & conc. min. sub eadem dist. conc. & neg. conf. cum possimus aliqua sine onere, alia cum onere possidere ut nostra, malè inferitur, omnia nostra bona esse immunia, ex eo, quod aliqua illorum sint talia.

Ratio illorum secunda: illi solum vi jurium sunt obligati ad reparandam Ecclesiam, qui ex proventus Ecclesie aliquid percipiunt: cum ergo decimæ Laicales non amplius sint proventus Ecclesie, qui hos percipiunt, non percipient aliquid ex proventus Ecclesie: consequenter neque obligabuntur ad reparandam Ecclesiam, quod autem decimæ Laicales non amplius sint proventus Ecclesie. Probatur: sunt abstractæ ab Ecclesia, & in Laicos translata, vel privilegio Apostolico, vel præscriptione immemoriali: ergo &c. Responderi potest, cum etiam Laici solvantur decimæ intuitu Ecclesie, cui ut perpetuo, ac stabiliter prospectum esset, & congrua sustentatio ejusdem Rectoribus haberetur, decimæ primitus institutæ fuerunt, & hinc ad illam per se spectarent, per accidens autem deinde in Laicos translatae sint: ideo innegabile videtur, in quodam sensu easdem esse proventus Ecclesie: cum ergo Tridentinum *sess. 21. cap. 7. de Ref. velit*, ut Ecclesie collapsæ reficiantur ex fructibus, & pro-

ventibus NB, quibuscunque, ad eadem quomodocunque pertinentibus: etiam ex Laicalibus erunt rescindenda Ecclesie. Laici itaque nomine Ecclesie decimas percipiunt: sed sicut usufructuarius colligens fructus ex agro Petri, hujus fructus percipit, quia ex agro Petri colligit, ita etiam Laici decimas percipiendo proventus Ecclesie colligunt.

22 Dicent: jus colligendi decimas est in patrimonio Laicorum: ergo percipiendo decimas, ex suis bonis, non autem ex proventibus Ecclesie percipiunt. 3. qui habet usumfructum in agro Petri, habet hoc jus in suo patrimonio, & tamen dicitur colligere ex proventibus Petri, quia ex agro Petri, ergo cum etiam solutio decimarum fundetur in jure, quod Ecclesia habet ad decimas, hic & nunc autem transiit quasi usumfructum decimarum in Laicos, tamen colliguntur decimæ ex proventibus Ecclesie.

23 Conf. decimæ laicales verè adhuc sunt proventus Ecclesiastici, ergo cum ex quibuscunque fructibus, & ad Ecclesiam quomodocunque pertinentibus, collapsæ Ecclesie sint rescindenda, erunt etiam ex istis laicalibus. prob. ant. quæ à sede pontificia, vel ante lateranense concilium anno 1179. celebratum ab ipsis quoque Episcopis concessæ fuerunt laicis, istis

solummodo in feudum concessæ sunt, & ratione hujus seculares & laicæ vocantur; ita quæ etiam donatæ, emptæ, aut permutatione ab Ecclesia comparatæ laicis fuerunt, illarum sola utilitas istis fuit concessa remanente dominio directo apud Ecclesiam: ergo adhuc sunt veri proventus Ecclesiastici. hinc optimè advertit P. Friderich de decimis n. 2. ejusmodi decimas laicis ex privilegio Ecclesie concessis, ad hanc denuo redire, si laicus possessor nihil de illis disponat, & hærede carens decedat: ergo statum primævum constantè retinent nec penitus Ecclesiasticæ esse desinunt; cum nullibi constet, decimas ipsis laicis absolute donatas, & pleno jure in laicos ab Ecclesia translatas, sed tantum quoad feudum. Accedit, quod ejusmodi alienationes in laicos ita explicandæ sint, ut omnium minimè juribus Ecclesiasticis præjudicent.

Omnibus igitur in utramque 24 partem expensis rationibus sententia obligans laicos ad reparationem Ecclesie, de qua percipiunt decimas, præscindendo à consuetudine cujuscumque loci privati videtur nobis verosimilior. Quo autem ordine, & in quorum defectum concurrere decimatores laici teneantur, hic non examinamus.

## S. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*An obligatio reparandi Ecclesiam etiam se extendat, ad refectionem ædium Parochialium?*

25 **D**ico 1. Obligatos ad reparationem Ecclesiæ Parochialis pariter ad refectionem Parochialis ædis per se, vi juris communis, ac præscinendo à peculiaribus statutis cujuscumque private paræciæ obstrictos esse, ita sentiunt Barbofa in c. 4. de ædificat. Eccles. n. 5. Lambertin. cit. q. 7. art. 3. à n. 1. Sperelli decis. 68. n. 4. Pirhing n. 16. Schambogen hic n. 15. Wiestner n. 45. Clariss. P. Schmier loco cit. n. 87. Schmalzgrueber n. 46. Pichler n. 4. cum alijs. Prob. conclusio 1. ex declaratione S. Congregationis, quam ista testante Barbofa cap. 13. n. 12. de officio Parochi: circa hoc punctum fecit. Prob. 2. qui ad reparationem Ecclesiæ tenentur, etiam obligantur ad refectionem Sacrificii, turris, cum campanili, cæmeterij: ergo etiam ad reficiendas ædes Rectoris. prob. conf. ad Sacrificium, campanile &c. Tenentur, tum quia ista sunt accessoria ad Ecclesiam Parochialem: tum quia *arg. Regula Accessorium: 42. in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis: ergo cum etiam domus Parochialis sit quid accesso-*

rium, tenebuntur etiam ad istius reparationem. Quòd autem ædes istæ sint quid accessorium, patet: cum nulla dari Parochia possit, quæ Parochum non habeat, Parochia enim est illa solùm Ecclesia, cui præest prebyter, prout cathedralis dicitur, cui præest Episcopus. Prob. 3. obligati ad reparationem Ecclesiæ etiam tenentur ad alimenta Parochi, ita ut hæc ab illis, si ei defint, possit expetere: ergo etiam tenebuntur ad refectionem domus, & habitationis Parochialis. Prob. conf. habitatio venit sub nomine alimentorum juxta *legem legatis 6. ff. de aliment. legat: ergo qui tenentur ad alimenta, etiam ad domus refectionem tenebuntur, ut sentiunt Berojus lib. 2. conf. 44. n. 11. Surdus de aliment. Tit. 4. à q. 1. Menochus lib. 4. presumpt. 57. n. 27.*

Alia adhuc movetur controversia, quænam omnia sub nomine ædium Parochialium comprehendantur, num hæc includant stabulum, horrea, domunculam lotoriam supposito quòd ista & alia similia à propria habitatione Re-

cto-

Etoris sint separata, ad sustentationem autem equorum, vaccarum, boum, ovium &c. sint necessaria? sunt enim nonnulli huius sententiæ, ut iudicent, solam habitationem, quam in persona incolit, nomine domus Parochialis intelligi, ita ut ad huius solius refectionem, sint obligati decimatores, Parochus autem solus stabulum, horreum &c. ædificare & reparare suis solius sumptibus teneatur.

26 Dico secundò: sub ædibus Parochi (germanicè *Wfar* = Hof) comprehendi etiam cætera ad sustentationem sui & suæ familiæ, item equorum, boum, vaccarum &c. trititandum & asservandum triticum necessaria, licet ista ab ædibus à Rectore inhabitatis sint distincta. prob. illud venit sub nomine *Eines Wfar* = Hof / quod venit sub nomine *Eines Waur* = Hof: sed sub nomine *Eines Waur* = Hof non venit sola habitatio, quam ipse agricola cum suis liberis, servis, atque ancillis inhabitat, sed insuper stabula, ac cætera asservatoria colendis agris, & asservandis fructibus necessaria: ergo etiam sub nomine *des Wfar* = Hof &c. prob. n. in. communi opinione & iudicio omnium. item qui vendit alteri *seinen Waur* = Hof / non vendit solas ædes, quas ipse persona cum reliqua familia inhabitat, sed omnia attinentia; aliàs posset insuper aliquid exige-

re ratione stabuli, horrei ultra summam circa quam convenerunt in venditione *des Waur* = Hof deinde utique ab omnibus ut minus sapiens exploderetur, qui postquam suam villam, vulgo *den Waur* = Hof certo pretio vendidit, emptori solas ædes, quas ipse agricola, huius uxor, liberi, ac famuli incoluerunt, vellet extradere, stabulum verò, horreum &c. sibi reservare, aut novum quoddam pro his pretium ab emptore exigere?

Prob. 2. Reliqua ædificia ponuntur Parocho necessaria ad sui, suæ familiæ, & suorum animalium sustentationem: ergo etiam ad istorum reparationem erunt obligati decimatores, aliàs obligati ad reparandam Ecclesiam, & habitationem Rectoris, prob. conf. istæ personæ sunt obligatæ ad sustentationem Parochi: ergo etiam ad illa, sine quibus sustentare iste se non potest. Confirm. nomine Ecclesiæ comprehenduntur Sacristia campanile, cæmeterium, & murus, quo istud clauditur, quia sunt quid accessorium, & ad templum Parochiale requisitum: ergo cum etiam reliqua ædificia sunt quid necessarium ad ædes Parochiales, & accessorium, etiam illa sub nomine domus Parochialis comprehenduntur.

Confirm. 2. Ex praxi, & consuetudine; si enim omnia ad ædes Parochiales spectantia incendio fuerint absumpta, qui debent concu-

currere ad ædificandas ædes Parochiales, tenentur non tantum ad ipsas ædes, quas in persona Rector incolit, construendas, sed ad reliqua ædificia eidem ad sustentationem necessaria.

- 27 Monitum autem hinc volumus lectorem, quæ in duabus hisce conclusionibus decidimus, procedere duntaxat *de jure communi*, sicut enim circa obligationem reparandi ipsam Ecclesiam, an, quid, & quantum, & à quibus sit aliquid ad illius refectionem contribuendum, consideranda est praxis in diœcesi, cujus pars est Ecclesia, observata, uti etiam patet, & conventiones privatæ, ita hæc ipsa consuetudo, quæ in diversis locis est diversa, attendenda erit, atque juxta hujus vigorem, quinam, & ad quantum contribuendum sint obligandi, erit determinandum, non ab ipso Rectore, sed à judice Ecclesiastico, seu diœcesano. unde cum in quibusdam diœcesibus Rectores Ecclesiæ singulis annis 10. 20. aut adhuc plures in reparationem suæ domus ex voluntate diœcesani debeant impendere inferitur, decimatores & reliquos ad reficiendam Ecclesiam Parochialem obligatos non teneri ad singulas quasvis minutas, quæ impensis à parrocho annuatim in refectionem suæ domus convertendis restaurari possunt. Quod si autem parrochus, quæ singulis annis in reparationem fabricæ impendere ex

jure debuisset, quod impensæ fuerint, ostendere non posset, & à pluribus annis debita, nunquam tamen in fabricam jam impensa, præstatio eam summam efficeret, quæ de novo ædificando stabulo sufficeret, judicio decimatores, ut partialiter concurrerent, non fore obligandos.

Quod si autem Rector Ecclesiæ non tantum incenderet suam habitationem, stabulum &c. reficere, sed his casu fortuito, aut vetustatis vitio destructis, ædificare vellet novum ædificium capacious, altius, & ex materia pretiosiore v. g. ex lapidibus, cum antea stabulum merè ligneum fuerit, quæstio moveri potest, num ad hanc ampliorem, & magis sumptuosam habitationem construendam, quæ utique majores sumptus exposulat, cogi possint etiam inviti decimatores, atque alij ad reparationem istarum aliàs obligati? ad hoc dubium judico respondendum cum proportione, quod de ampliatione, & magis sumptuosa ædificatione ipsius Ecclesiæ dicitur; attendendum scilicet etiam in reparatione & ampliatione ædium Parochialium esse, utrùm necessitas adsit ampliandi, & commodiores, ac splendidiore ædes extruendi? item num celebrior forma in noviter ædificandam domum introducenda sit æqualis aliorum Rectorum in illa provincia habitantium ædibus, vel his nobilior futu-



futura? si veteres aedes non fuerint sat capaces, valde incommodae, & aliorum illius viciniae Parochorum aedibus multum inferiores, obligarem decimatores, & similes alias personas vi juris communis ad reficiendam Rectoris domum obstrictas, ut pro rata eadem concernente ad ampliacionem, & celebriorem novarum aedium formam concurrant, nisi vel contrario Regionis more, vel communi Ecclesiae statuto, aut amabili, & contraria pactione aliud receptum sit. Si autem ista circumstantia non darentur, ad sumptus in ampliorem, aut nobiliorem domum Parochialem faciendos decimatores obligati non videntur; iniquum etenim jure merito videtur, has personas compelli ad restitutionem sumptuum, quos Parochus commoditatis suae causa, aut ad ornatum non necessarium fecit, aut facere decrevit. Confirm. qui domum, vel parietem communem suae domus causam reficit, non potest vicinum compellere ad contribuendum pro factis impensis: ergo neque talis Parochus.

Quod si autem Parochus iudicet domum suam esse ampliandam, redigendam in formam celebriorem; decimatores autem, & alij ad refectionem obligati oppositum aestimant, periti artis erunt consulendi, & ex horum assertione lis determinanda erit; ne isti nimio sumptu onerentur, aut inimium istorum avaritiae concedatur.

Caterum optimè advertit Peckius in suo *de reparandis Ecclesiis tract. cap. 16. n. 1.* ipsius juris atque aequitatis rationem postulare, ut à Parocho, aedituis, aliisque Ecclesiae administratoribus nulla fiat reparatio, nisi illis, ad quos onus refectionis pertinet, etiam prius requisitis; & si reficere neglexerint, aut recusaverint, vocatis.

Ratio hujus fundatur in *Lege de unoquoque ff. de re iudicata* vi cuius unusquisque citari debet ad eum actum, ex quo damnum sentire potest. Exemplum hujus reperimus in usufructuario, qui vi *Legis 15. qui fundum ff. de usu, & usufructu lega.* vocandus est, quando circa proprietatem aliquid innovatur. Quod, si vocatio ista omissa fuerit ex eo, quod non vocati fuerint, ab impensarum factarum solutione excusare nequaquam se poterunt, juxta citatum Peckium: licitum tamen iisdem erit allegare, plus in fabricam & refectionem impensum esse, quam oporteret, *arg. Legis: si quis negotia ff. de negotijs.* Hinc talibus Parochis, aedituis, administratoribus articulandae erunt expensae, & quod necessariae, atque utiles fuerint, item quod animo repetendi factae, demonstrandum: dixi eisdem probandum, quod animo *sumptus repetendi*, hoc est, communi, & non suo duntaxat sumptu, aedificium commune refecerint, aut ampliaverint; si enim suo nomine, & sumptu duntaxat

Q99

repa-

reparaverint, de sumptu facto à ceteris nihil exposcere poterunt, ut habetur in *Leg. fin. cod. de edific. priv.* multò magis tamen decimatores, & alij similes ad re-

fusionem Parochò faciendam tenentur, si priùs interpellati in mora, & illorum nomine expensæ factæ fuerint.

## §. IV.

## Resolvitur quartum Quæsitum:

Quomodo, & à quibus renuentes ad Ecclesiam reficiendam cogi possint?

30 Dico primò: ad refectionem Ecclesie Parochialis agere possunt Prælatus, seu Parochus, æditui, seu Præfecti Ecclesie, si ad populum, vel decimatores, vel illius destructorem refectione pertineat. Ita præter alios Didacus *ad cap. peccatum 1. parte relect. versu: incipit, nono à supradictis deducitur. Peckius de Eccles. reparand. cap. 27. n. 5. Prob. concl. ex Canon. in Canonibus 57. causa 6. q. 1.* vi enim hujus Canonis Prælati bona, & patrimonium Ecclesie tenentur repetere ab iniquis possessoribus, & ea servare illæsa: ergo etiam debent, & possunt agere contra eos, qui ad reparationem Ecclesie, & bonorum ad hanc spectantium obligantur; cum hæc actio ad finem istum sit necessaria, & qui obligatur, vel jus habet ad finem, etiam obligetur, & jus habeat ad media, ut obtineatur talis finis necessaria.

Dico secundò: ad reparationem talem obligatos urgeri etiam posse à Judice ex officio, licet pars non petiverit, ita Alciatus *consil. suo 43. incipit: non videtur dubitandum.* Probi, si non ex officio, sed tantum à partibus requisitus Judex posset renitentes compellere, plura templa corruerent, & suo debito splendore fraudarentur, ergo necessarium est, ut Judex ex officio solo possit compellere venientes. Prob. ant. illi, qui ex officio deberent agere contra tales morosos dilatores, possunt esse negligentes in odium Religionis, vel in hæresin esse prolapsi, aut ex iniquo affectu erga obligatos ad reparandam Ecclesiam negligere suum officium, & consequenter restauratio Ecclesie omnino intermitteri: ergo plura ejusmodi templa corruerent.

Confirm. vi *Legis nec quicquam §. ult. versu plerumque: Et vi eorum, que hic notat Bartol. ff. de off.*

officio Proconsulis in causis pijs potest Judex nemine petente officium suum impetiri; imò videtur etiam debere, prout contendit Tiraquell. in tract. de pia causa privileg. 152. plures recitans, & allegans alios: ergo &c.

Confirm. 2. Robertus Maranta in lib. de ord. judic. p. 6. n. 142. advertit, Judicem ex officio suo inquirere de omni crimine, & injuria contra Ecclesiam, & Ecclesiasticas personas commissio; item de omni crimine in Ecclesia commissio vi Legis: si quis in hoc genus, & ibi Bald. Cod. de Episcop. Clericis: atqui recusantes corruere ad reparationem Ecclesie, licet obligentur, inferunt huic injuriam: ergo in illos Judex poterit ex officio inquirere.

§2 Dico tertio: ad refectionem Ecclesie etiam agere potest populus, seu Parochiani. Ita Alciatus cons. suo 43. incipit: non videtur dubitandum, Peckius cap. 27. de sacros. & Cathol. Christ. Ecclesijs. Prob. actio ad refectionem Ecclesie est popularis; ergo actio ad refectionem Ecclesie potest à populo institui: prob. ant. actio popularis est, quæ datur ex causa populari, hoc est ex aliquo facto, vel re, quæ concernit populum, & totam communitatem, sed talis est ista actio: ergo actio ista est popularis: prob. min. publica utilitas in sacris consistit vi Legis 1. §. publicum ff. de Jus. & Jure. Deinde Religio Deum re-

spicit, consequenter populo, & communitati debet omni commodo esse pretiosior, juxta Legem: sancimus in fide Cod. de Sacrosanct. Ecclesijs: Denique Ecclesia est communis Domus omnium: ergo Ecclesia concernit communitatem & populum.

Dico quarto: competens in hac causa est Judex Ecclesiasticus, licet laici sint obligati ad reparandam Ecclesiam, ita communis, & certa, prob. Ecclesiastici etiam contra laicos cognoscunt de omni causa pia, & personarum miserabilium, saltem per præventionem: ergo multò magis cognoscunt de reparatione Ecclesiarum, ant. constat: ex cap. significantibus & ibi Panormit. & alij de officio judicis deleg. item Ecclesiastici cognoscunt de omni spoliatione Ecclesiarum per laicos facta: ulterius vi §. scire autem in Aubent. de non alien. Ecclesiastici Judices possunt Emphytevtam laicum compellere, ut rem Ecclesiasticam Emphytevticam debite reficiat: ergo etiam ad reparationem Ecclesie.

Num autem etiam seculares 34 saltem Reges, aut Regij Judices ejusmodi renitentes laicos ad reparationem Ecclesiarum cogere possint, si obligatio eorum sit certa, non examinamus. Tractat hanc materiam prælaudatus Peckius cap. 28. ubi vult, hanc actionem esse mixti fori ipsi que auctori Parocho urgenti reparationem Ecclesie opuem dari, coram

coram quo morosos debitores velit convenire citat in hujus probationem Tiraquellum in tract. de pia causa privileg. 150. afferentem multa juris responsa, nec non Doctorum argumenta: adducit etiam cap. ultimum 96. dist. ubi Pontifex ait, quod boni Principis sit Ecclesias contritas, & conscissas instaurare, non onerare. item cap. sicut Excellentiam circa finem causa 23. q. 4. ubi habetur: Excellentia principum apud creatorem majori gloria proficere non potest, quam si per eam dispersarum Ecclesiarum potuerit societas restaurari: adducit insuper Ulpianum de officio proconsul. lege si in aliquam: sequentia dicentem *edes sacras, & opera publica circumvire, inspiciendi gratia, an sarta rectaque sint, vel an aliqua refectione indigeant, & si qua cepta sunt ut consummentur, prout vires ejus Reipublicae permittunt, curare debet.*

Quod remedia concernit, quibus nolentes reparare domum Dei compelli possint, æquum, & honestum, si non omnino necessarium est, ut Judicium precedat monitio, qua Episcopus, Archidiaconus, aut alius in istis rebus

competens Judex tales debitores moneat, ut suo officio circa reparationem Ecclesiae satisfaciant: quod si ob reparationem populo collecta quædam fuerit imposita, contra defectuosos executivè ac summarie procedi poterit, prout in cæterorum onerum exactione fieri consuevit: *vi s. coges in Authent. de mand. Princip. si decimatores ac fructus ex bonis Ecclesiae percipientes reficere Ecclesiam etiam admoniti reculent, illorum fructus detineri, sequestrari, vel arrestari possunt; cum similes fructus pro hujusmodi reparatione inlar tacitæ hypothecæ sint privilegiati, ita referente prælaudato Peckio decidit Joann: de Athon: constitutione: quæ incipit: improbum: ad verbum de fructibus: in constitut. Anglic. quæ vocantur constitutiones Domini Othoboni: item Glossa ad cap. statumms, ad verbum converti facias: tit. de Eccles. edific.*

Contra eosdem morosos debitores etiam censuris Ecclesiasticis procedi poterit, item per poenas, & multas arbitrarias ex sententia Judicis Ecclesiastici infligendas. Peckius in citato tract. cap. 29.